

1296 abril 3. Palerm

*Frederic, rei de Sicília, confirma als barcelonins els privilegis atorgats pel seu germà Jaume d'Aragó, de 18 i 22 de febrer de 1286 i 17 de juliol de 1288, que fan extensius als altres súbdits del Principat de Catalunya, dels regnes d'Aragó i Mallorca, i dels altres dominis del rei d'Aragó, i els permet, a més a més, escollir cònsols.*

[A]. Original perdut.

- B. Còpia de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd* de l'AHMB, I- f. 257-v i 268-270.
- C. Còpia de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Vermell* de l'AHMB, II- f. 134v-135v.
- D. Còpia sobre pergamí nº 1.673 (555 x 655 mm) conservada a l'AHCG, feta per Bernat Pallarès, notari públic de Barcelona, autentificada per Ferrer de Vilafranca, veguer de Barcelona, del 9 de febrer de 1316.
- E. Còpia de D de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 173-178v.
- a. Ed. de les còpies B i C per A. de CAPMANY I PALAU, *Memorias históricas sobre la marina, comercio y artes de la antigua ciudad de Barcelona*, reed. E. Giralt i Raventós i C. Batlle i Gallart, II-1, Barcelona, 1963, p. 62-63 (doc. 40); p. 65-66 (doc. 43); i p. 86-88 (doc. 57).

**De les franchisees atorgades per lo rey de Sicilia als Cathalans e primerament de la treta de froment e d'ordi. Item que ls Cathalans pugen elegir cònsol en Sicília. Item altres coses.**

Hoc est translatum sumptum fideliter a quodam privilegio pergameneo sigillato sigillo serenissimi domini, domini Ffrederici tertii, Dei gratia regis Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, pendenti in veta de sirico, cuiusquidem privilegii tenor talis est:

«Fredericus tertius, Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, per presens privilegium notum fieri volumus universis, tam presentibus quam futuris, quod Guillelmus de Riuxiaco, consul Cathalanae existencium in Panormo, devotus noster, nomine et pro parte Barchinonensium devotorum nostrorum, ostendit et presentavit in nostra curia infrascripta privilegia et scripta eisdem Barchinonensis olim facta et indulta per serenissimum regem Iacobum, Aragonum et olim Sicilie regem, dominum fratrem nostrum, de libertatibus, immunitatibus et gratis concessis eisdem Barchinonensis per predictum dominum fratrem nostrum, continencie infrascripte tenor unius ex predictis privilegiis talis est:

«Iacobus, Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, notum fieri volumus universis quod attendentes grata et accepta servicia que Cathalani, fideles nostri, illustrissimo domino Aragonum et Sicilie regi, clare memorie karissimo patri nostro, et nobis contulerunt, conferunt et dante Domino, infuturum conferre poterunt gratiora, contemplacione et intuytu serenissimi et karissimi /173v/ fratris nostri domini Alfonsi, illustris regis Aragonum, Maioricarum et Valencie et comitatus Barchinone, eos speciali gratia prosequentes. Eisdem tantummodo Cathalanae, habitatoribus Cathalonie et non aliis, liberaliter et gratiore concedimus ut de portubus insule nostre Sicilie licitis et permisis ad extraccionem victualium deputatis, predicti Cathalani, habitatores tantummodo Cathalonie et non aliis, frumentum et ordeum pro substentacione devotorum nostrorum predictarum partium Cathalonie possint extrahere cum licencia nostra seu magistri vel magistrorum portulanorum Sicilie, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, cum navibus et aliis vassellis defferenda ad partes easdem et non alio, exoneranda et vendenda ibidem sub iure exiture curie nostre, vel predictis magistro vel magistris portulanis, ad rationem de terinis tribus ponderis generalis pro qualibet salma frumenti, et de terino uno et granis decem eiusdem ponderis, pro qualibet salma ordei integraliter exolvendo, ita tamen quod per eosdem Cathalanos ius dohane secretis Sicilie, qui sunt vel pro tempore fuerint, vel cabellotis seu credenceris dicti iuris debeat exhiberi. Mandantes tenore presencium predictis magistro seu magistris portulanis Sicilie, tam presentibus quam futuris, quod predictis Catalanis habitatoribus Cathalonie et non aliis, qui extraccionem frumenti et ordei extrahendorum de predictis portubus Sicilie et ferendorum ad predictas partes Cathalonie et non alio, ab eis seu ipsorum altero emere voluerint, exituram ipsorum frumenti et ordei ad raciones predictas concedant, et recepto prius per curiam nostram vel predictos magistros portulanos a predictis /174/ Catalanis iure exiture ipsorum victualium ad raciones predictas ac fideiussoribus Cathalanae quos consul Cathalanae illius civitatis vel terre, ubi huiusmodi fideiussores dabuntur, approbabit ydoneos sub pena valoris vassellorum et honerum quod cum ipsis victualibus alio non divertant, sed frumentum et ordeum ipsum ad predictas partes Catalanie tamtummodo deferant, exonerent atque vendant, quodque de exoneracione et venditione ipsorum facienda per eos in altera terrarum et locorum ipsarum partium, in qua vel quo frumentum ipsum exonerari et vendi contigerit, a vicario et baiulo ipsius terre ydoneas eis deferant seu defferi faciant litteras reales infra certum et competentem terminum, eis per eos iuxta loci distanciam prefigendum, Cathalanos eosdem quantitatem frumenti et ordei cuius exituram a nobis vel eis emerint, de predictis portubus Sicilie extrahere<sup>a</sup> et

ad predictas partes Catalonia et non alio deferre sine contradiccione permittant. Predicti quoque magister seu magistri portulanii, preterquam presens privilegium in publicam formam fecerint redigi, quam tam ad eos quam ad singulos successores eorum omnem vim, robur et cautelam habere volumus privilegium ipsum nuncis predictorum Cathalanorum debeat resignare per eos vel alias eorumdem magistrorum portulanorum successoribus ostendendum.<sup>b</sup>

Datum Panormi, anno Domini M° CC° LXXXV°, mense februarii XVIII°, eiusdem XIII<sup>e</sup> indicacionis, regni nostri anno primo».

Tenor alterius privilegiorum ipsorum talis est:

«Iacobus, Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Decet munificiam regiam illos gratis et libertatibus ampliare, quos /174v/ antiqua fidelitas et gratiutorum serviciorum oblacio reddunt beneficiorum largitione condignos. Nam quanto benemeritis de collatis obsequiis per Dominum liberaliter providetur, tanto fideles singuli ad dominantis servicia animosius et ardencius inducuntur. Attendentes igitur puram fidem et devocationem sinceram quam Catalani, fideles et devoti nostri, erga illustrem dominum regem Aragonum et Sicilie, dominum patrem nostrum clare memorie, serenissima dominam Aragonum et Sicilie, reginam dominam matrem nostram, et nos prompto zelo gesserunt et gerunt, nec minus grata satis et accepta servicia, per eos dictis dominis parentibus nostris et nobis fideliter et devote prestita, et que dicte domine nostre et nobis prestant et conferre poterunt in antea, dante Domino gratiora, eis de libertate mera et gratia speciali concedimus quod predicti Catalani in singulis terris et locis regni nostri Sicilie, illi videlicet qui sunt et erunt in terris eisdem, inter se possint eligere et statuere unum ex eis, quem ydoneum et sufficientem viderint, in consulem. Qui consul questiones et causas civiles quas inter eos moveri contigerit, vel ipsos ab aliis conveniri, audiat, examinet et debito fine decidat et quod sentencialiter decreverit, appellacione ad nos interposita, observet et faciat observari. Ita tamen quod de questionibus criminalibus se nullatenus intromittat et ad easdem questiones criminales manus suas aliquatenus non extendant. Ceterum, considerantes quod, quanto fideles et devotos nostros prerogativa gratie, favoris et benignitatis amplectimur et eis beneficia per nostram /175/ munificiam conferuntur, tanto maioris fidei et devocationis ardore accensi ad nostra servicia promptius et animosius inducuntur,<sup>d</sup> eisdem tantummodo Catalanis, qui sint habitatores Cathalonie et non aliis, concedimus et pleno favore regio confirmamus quod vassella, merces, peccuniam et omnes res alias ipsorum Catalanorum qui sint habitatores Catalonia, quos in regno nostro Sicilie naufragium pati contigerit, quas patroni secundum consuetudinem, hactenus observatam infra ipsius naufragii triduum recuperare poterant, vassellis et rebus omnibus eiusdem naufragii post ipsum triduum ad recuperandum residuis fisci nostri comoditatibus applicatis, liceat Catalanis tantummodo qui sint habitatores Catalonia, ea sine aliqua licencia curie vel mandato infra et post triduum toto tempore recuperare, habere et utilitatibus suis acquirere, nichil pro recuperacione et habacione ipsorum nostre curie vel eius officialibus exhibendo, ideo perpetuo eis observari volumus, nulla in hoc constitucione seu consuetudine contraria valitura. Et si aliquae persone publice vel private aliqua de peccunia, mercibus, vassellis et rebus naufragiorum ipsorum, ob favorem et potentiam curie vel suum seu aliarum quarumlibet personarum caperent vel capi facerent, pecuniam, res et bona ablata ad dupplum in sue transgressionis penam patronis ipsorum, illi qui ea ceperint, restituere per nostram curiam compellantur. Ad huius autem nostre concessionis memoriam et robur perpetuo valitum, eis exinde presens privilegium fieri iussimus et magestatis nostre pendentii sigillo muniri.

Datum Panormi, anno Domini /175v/ M° CC° LXXXV°, mense februarii XXII°, eiusdem XIII<sup>e</sup> indicacionis, regni nostri anno primo».

Et tenor ultimi privilegiorum ipsorum talis est:

«Iacobus, Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, officium regie dignitatis exequimur et ad maiora laudum et fame preconia munificencia regalis extollitur, dum illos, quos fidelitatis et devocationis collata servicia redunt amabiles, ac provisione et remuneracione condignos, gratiarum et largicionum beneficiis promovemur, unde honor et nomen nostrum extollitur et apud benemeritos fides et devocio augmentantur. Considerantes itaque puram fidem et devocationem sinceram quam cives Barchinone, devoti nostri, erga illustres quandam dominos predecessores nostros, ac serenissimum dominum Alfonsum, regem Aragonum, Maioricarum et Valencie ac comitem Barchinone, karissimum fratrem nostrum, et nos prompto zelo et cum qualibet animi puritate gesserunt et gerunt, necnon grata satis et accepta servicia que eis et nobis devote, fideliter et legaliter contulerunt, et que, annuente Domino, conferre poterunt in futurum, eis sub infrascripta forma et modo de liberalitate mera et speciali gratia concedimus et donamus infrascriptas libertates, immunitates et gratias in mercacionibus et negociacionibus de mercibus et rebus eorum licitis et permissis, quibus a primo die mensis septembri sequentis secunde indicacionis proximo /176/ future in antea libere gaudeant et utantur, videlicet, quod cives prediche civitatis Barchinone, exclusis Provincialibus, Romanis, Tuscis, Venetis, Pisanis et habitatoribus regni Sicilie, qui se cives Barchinone dicent in mercacionibus et

negociacionibus eorum, iuxta consuetudinem regis Sicilie faciendis de mercibus et rebus eorum licitis et permissis in terris et locis tocius regni nostri Sicilie acquisitis et de cetero acquirendis, intrando, stando et exeundo, sint liberi et immunes, salvo quod de predictis mercibus et rebus eorum, aliunde quam de Barchinone et aliis terris et locis dominii predicti domini, fratris nostri, per eos in predictum regnum Sicilie deferendis quod pro dirictu curie, novis statutis omnibus remissis, eisdem et duabus partibus iurium antiquorum de tempore illustris quondam domini regis Guillelmi secundi, avunculi nostri dive memorie, eis de gratia relaxatis, solvant terciam partem tantum ipsorum iurium antiquorum, prout per Ianuenses, cives Ianue, ius ipsum de privilegio nostre concessionis et gratie exiberi consuevit et debet. De mercibus autem et rebus eorum licitis et permissis deferendis per eos a dicta civitate Barchinone et aliis terris et locis dominii dicti domini fratris nostri, quilibet mercator civis Barchinone solvat tantummodo cabellotis seu credenceris cabellarum dohannorum maris terrarum et locorum eiusdem regni, videlicet, ad quas eos cum eisdem rebus et mercibus primitus applicare contingerit et eas ibidem exoneraverint, et eas in toto vel in parte vendiderint, skifatum auri unum, valentem tarinos auri octo ponderis /176v/ generalis.<sup>c</sup> Si vero predicti mercatores, vendita in eisdem terris aliqua parte ipsarum mercium, reliquam partem earum vellent a predictis terris extrahere, deferendam alio ad vendendum, volumus quod, predicto skifato per quemlibet eorum propterea soluto cabellotis seu credenceris dohannarum maris terrarum et locorum ipsorum, in quibus eas exonerabunt et in parte vendent, easdem a terris eisdem per mare vel per terram libere absque iure dohanne possint extrahere et defferre ad loca quelibet ad vendendum, quodque constituto cabellotis dohanne maris illius terre, ad quam reliquam quantitatem mercium predictarum detulerint, si per mare vel cabellotis dohanne ipsius terre, si per terram merces ipsas intromitti contigerit per patentes litteras seu apodixas mercatoribus ipsis factas per dohanerios illius terre, ad cuius portum primo declinaverint, et in ea facient vendicionem certe partis mercium earumdem quod de predicto skifato sit eis integre satisfactum, predicti cives partem restancium mercium, deferendam per eos ad terram eandem, libere vendant et predictis cabellotis dohanarum nichil propterea solvere teneantur, cum velimus quod non nisi semel pro iure ipso solvere compellantur. De ponderatura autem mercium que venduntur ad cantarium, solvere debeant usque ad grana duo et medium et non plus. Pro ripa vero et mensuris, prout per predictos cives Ianue ius ipsum de predicta concessione et gratia nostra debetur, solvere teneantur. De mercibus etiam et rebus eorum licitis et permissis, per eos extrahendis de partibus, terris et locis predicti regni nostri alio deferendis, sol-/177/-vant ius quod per Ianuenses cives Ianue de privilegio nostre concessionis et gratie exiberi consuevit et debet. Omnes vero predicti cives Barchinone in omnibus partibus dicti regni nostri sint salvi et securi, in personis et rebus eorum, sani et naufragi et non impedianter personaliter vel realiter pro obligacione alterius vel offensa. Ad huius autem nostre concessionis et donacionis memoriam et robur in posterum valiturnum, presens privilegium eis exinde fieri et maiestatis nostre sigillo pendenti iussimus comuniri.

Datum Messine, anno Domini M° CC° LXXXVIII°, mense iulii XVII°, eiusdem prime indicacionis, regni nostri anno tertio».

Verum quia predictus consul, pro parte tam predictorum Barchinonensium quam Catalanarum, Aragonensium, Maiorianorum et aliorum de dominio et posse dicti domini fratris nostri, nobis humiliter supplicavit, ut predictis Catalanis et Barchinonensibus predictas libertates, immunitates et gratias, eis per predictum dominum fratrem nostrum indultas et concessas, sicut in dictis privilegiis continetur, de gratia confirmare et predictis Catalanis, Aragonensibus, Maiorianis et aliis de predicto dominio et posse predictas alias libertates, immunitates et gratias predictis tantum Barchinonensibus concessas et indultas per predictum dominum fratrem nostrum, de novo concedere liberaliter dignaremur. Quibus supplicationibus benigne admissis, considerantes fidem et devpcionem sinceram quam ipsi erga predictum dominum fratrem nostrum et nos prompto zelo gesserunt et gerunt, nec minus fidelia et grata servicia per eos predicto domino, fratri nostro, et /177v/ nobis constanter, fideliter et devote prestita et que in futurum, actore Domino, conferre poterunt gratiora, dum deceat maiestatem regiam benemeritos gratis, donis et retribucionibus ampliare, predictis Catalanis predictas libertates, immunitates et gratias, eis per predictum dominum fratrem nostrum concessas, quatenus in duobus ex predictis privilegiis continentur et predictis Barchinonensibus, predictas alias libertates, immunitates et gratias eis concessas per eundem dominum fratrem nostrum, sicut continetur in alio ex privilegiis memoratis, liberaliter et gratiose et ex certa nostra conscientia confirmamus et predictis Catalanis, Aragonensibus, Maioricensibus et aliis de dominio et posse dicti domini fratris nostri, predictas libertates, immunitates et gratias predictis Barchinonensibus concessas per predictum dominum fratrem nostrum, de liberalitate mera et speciali gratia et ex certa nostra conscientia, concedimus et donamus, ita tamen quod predicti Catalani, Aragonenses, Maioriani et alii de dominio et posse dicti domini fratris nostri a primo septembbris proximo, future decime indicacionis in antea et predicti Maioriani, donec erunt in fide, dominio et posse dicti domini fratris nostri, utantur et gaudeant libertatibus, immunitatibus et gratis supradictis. Et si forte processu<sup>f</sup> temporis predicti Maioriani non essent de dominio et fide dicti domini fratris nostri, ab eo tempore quo non erunt et esse desierint de dominio et fide ipsa, non utantur, nec gaudeant predictis libertatibus, /178/

immunitatibus et gratiis, vel aliqua parte ipsarum, et ab ipsis libertatibus, immunitatibus et gratiis, penitus excludantur et ex tunc in antea, quo ad predictos tantum Maiorianos et non ad alios supradictos, presens privilegium habeatur pro casso, irrito et inani. Ad huius autem nostre concessionis et confirmacionis memoriam et robur in posterum valitrum eis exinde presens privilegium fieri et maiestatis nostre sigillo pendent iussimus communiri.

Datum in urbe felici Panormi per nobilem Conradum Lanceam, regni Sicilie cancellarium, anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, mense aprilis tertio, eiusdem nonae indiccionis, regni nostri anno primo.

Sig+num Margariti Sunyerii, notarii publici Barchinone testis. Sig+num Iohannis de Beseriis, notarii Barchinone testis.

Sig+num Fferrarii de Villafranca, vicarii Barchinone et Vallesii, qui huic translato sumpto fideliter ab originali suo et cum eodem legitime comprobato ex parte domini regis et auctoritate officii quo fungimur, autoritatem impendimus et decretum ut ei tanquam originali suo fides plenaria ab omnibus impendatur appositum per manum mei Bernardi de Cumbis, notarii publici Barchinone regentisque scribaniam curie vicarii eiusdem civitatis, in cuius manu et /178v/ posse dictus vicarius hanc firmam fecit quinto idus februarii, anno Domini millesimo CCC<sup>o</sup> quintodecimo. Presentibus testibus Iacobo Pererii et Bernardus de Daurats et ideo ego Bernardus de Cumbis, notarius predictus, hec scripsi et hoc meum sig+num hic apposui.

Sig+num Bernardi Payares, notarii publici Barchinone, qui hoc translatum sumptum fideliter ab originali suo et cum eodem fideliter comprobatum scribi fecit et clausit cum litteris suprappositis in linea VIII<sup>a</sup> ubi dicitur «predictis» et in linea XLVI<sup>a</sup> ubi dicitur «forte» et rasis et emendatis in linea XXI<sup>a</sup> ubi dicitur «post» et in linea XXII<sup>a</sup> ubi dicitur «officialibus» et in dicta linea XLV<sup>a</sup> ubi dicitur «fide», quinto idus februarii, anno Domini M° CCC<sup>o</sup> quintodecimo.

a. Exhibere, a. b. Attendendum, a. c. qui, D. d. Inducan tur, a. e. skifatum aureum unum, valentem tres aureos octo granos ponderis generalis, a. f. Pro de cursu, a.